



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

VIII.

Sancti Theophili episcopi Alexandrini de epistola paschali, quam per Aegyptum destinavit: Cuius rei testis est ille qui loquitur: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Et prophetae Christi auxilium deprecantes: Domine, inclina caelos tuos, & descende. Non ut mutaret locum, in quo omnia sunt, sed ut propter salutem nostram carnem humanae fragilitatis assumeret, Paulo apostolo eadem concinente: Cum esset diues, pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate ditaremur: venitque in terras, & de virginali utero, quem sanctificauit, egressus homo, interpretationem nominis sui Emmanuel, id est, nobiscum Deus, dispensatione confirmans, mirum in modum coepit esse quod nos sumus, & non desuit esse quod erat: sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse, non perderet. Quamquam enim Ioannes scribat: Verbum caro factum est, id est aliis verbis, Deus homo factus est, Verbum tamen non est verbum in carnem, quia nunquam Deus esse cessauit. Ad quem & Spiritus sanctus loquitur: Tu autem idem ipse es. Et Pater de caelo contestatur, & dicit: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ut & homo factus, nostra confessione permanere dicatur, quod fuit priusquam homo fieret, Paulo nobiscum eadem praedicante: Iesus Christus heri & hodie, idem ipse & in aeternum. In eo enim quod ait ipse, ostendit eum pristinam non mutasse naturam, nec diuinitatis suae minuisse diuitias, quia propter nos pauper effectus, plenam similitudinem nostrae conditionis assumpserat. Item eiusdem in alia epistola paschali contra Origenem, inter cetera: Unus Filius Patris, nostrique mediator, nec aequalitatem eius amisit, nec a nostro consortio separatus est. Inuisibilis Deus, & visibilis homo, forma serui absconditus, & Dominus gloriae confessione credentium comprobatus. Neque enim priuauit eum Pater naturae suae nomine, postquam pro nobis homo, & pauper effectus est, nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo, sed Filium vnigenitum: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Nec similitudo nostra in diuinitatis est mutata naturam, nec diuinitas in nostrae naturae versa est similitudinem.

Psal. 13.

Psal. 143.

2. Cor. 8.

Ioan. 1.

Psal. 101.

Matth. 3.

Heb. 13.

Matth. 3.